

The *Liber Pharetrae* Project

Liber 3: De periculosis Caput 36: De arguitione (6)

Augustinus, in *Epistola*:

Obsecro te per mansuetudinem
Christi, ut si laesi te, dimittas mihi,
nec me vicissim laedendo malum
pro malo reddas: laedes autem me,
si mihi tacueris errorem meum, quem
forte inveneris in factis vel dictis meis.
Nam si ea in me reprehendis, quae
reprehendenda non sunt,
te laedis magis, quam me.

obsecro ergo te per mansuetudinem
Christi, ut, si laesi te, dimittas mihi
nec me vicissim laedendo malum
pro malo reddas. laedes autem me,
si mihi tacueris errorem meum, quem
forte inueneris in factis uel dictis meis.
nam si ea in me reprehenderis, quae
reprehendenda non sunt,
te laedis magis quam me,
quod absit a moribus et sancto proposito
tuo, ut hoc facias uoluntate laedendi
culpans in me aliquid dente maledico,
quod mente veridica scis non esse
culpandum.

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 73.2
(CSEL 34.2, A. Goldbacher ed., p.266,
ll.2-10).